



DISSERTATIO

AN GENTILES,

Quibus neque de Lege Moyſis, neque de Evangelio aliquid innotuit, ſalutem obtinere potuerint.

CUM de æterna ſalute & damnatione iudicium ferendum eſt, nulli parcendum cautioni autumamus. Qua enim laboramus ignorantia additiſſimorum ſapientiæ pariter & miſericordiæ divinæ conſiliorum, non niſi per ſummam audaciam certi aliquid de viis Domini aſſerendum eſſet. Obſervatum licet in malo cor nullo poteſt negotio Divinæ gratiæ ſuæ efficaciæ lenire, pro libero ſuæ voluntatis arbitrio uno poteſt momento cor lapideum in carneum tranſmutare, indomita rebellium colla ſub amoris & gratiæ jugum redigere? Quis furem è cruce in Paradifum uno eodemque temporis articulo tranſulit?

Cum itaque diſcutiendum nobis ſuſcipimus, an Gentiles, quos ſive Judæorum Lex, ſive Evangelium æquè latebant, quamquam alioquin Deum noſcerent, atque naturæ lumine juſtitiaæ tramitem diſpicientes, reſtam virtutis viam tenuiſſe hominibus viſi ſunt, ſalutem juſtitiaæ ſuæ virtute obtinuerint; nullum nos limitem divinæ miſericordiæ præſcribere, neque latentium divinorum conſiliorum atque iudiciorum abyſſum ſcrutari audeamus, ſed diſputationem hanc noſtram totam redigendam volumus ad normam eorum, quæ Deus ipſe in Scriptura revelavit, docuerunt Patres: an ſcilicet, juxta conſuetam Divinæ Providentiæ rationem, omni remoto ſubita reſipiſcentiæ per Dei gratiam factæ, atque juſtificationis ipſo mortis articulo obtentæ prodigio, accidiffe potuerit, ut Gentes, quibus nihil cognitum de Lege naturali ac Deo, niſi ſi quid incerto ſpeculatiæ cognitionis lumine diſpicere valuerunt, exactam tamen ad naturalis honeſtatis regulas vitam compoſuerunt, probitatis illius ſuæ merito, quamquam fide ſupernaturali & gratiâ Jeſu Chriſti deſtituta, æternam ſalutem obtinuerint.

Occaſionem ambigendi præbet Apoſtoli in ea, quam modò tractamus, Epiſtola Rom. 1. 19. 20. ita de Gentiliſm Philoſophis diſſerens. *Veritatem Dei in injuſtitiâ detinent, quia quod notum eſt Dei, manife-*

ſum eſt illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles: quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum gloriſicaverunt. Et cap. 2. 9. &c. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci: gloria autem honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicumque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege peribunt; & quicumque in Lege peccaverunt, per Legem iudicabuntur. Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legiſ ſunt faciunt; ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui obſervant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Et ver. 26. Si igitur præputium (Gentiliſ) juſtitiaæ legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? Et iudicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per literam & Circumciſionem prævaricator legis eſ?

Ex quibus Pauli verbis duo reſtâ conſequentione deducuntur. 1. Gentiles & maximè Philoſophos, viroſque doctiſſimos tantùm de Deo legibusque noſſe, quantum ejus legis tranſgreſſæ Rei meritò arguantur. 2. Nullum eſſe perſonarum diſcrimen apud Deum, qui Gentiles perinde ac Judæos legibus ſuis obſequentes habeat acceptos; ſicut & damnet reos, ſi prævaricatores teneat. Sive igitur ideam habeant exactam & diſtinctam rerum divinarum, quam Judæis Leges Moſaica inducunt, ſive conuſam, quam præbent Gentibus naturalis legis ſanctiões, utrique tamen æquè Deo placent diſplicantque. Quare illud pariter conſequi neceſſe eſt, Gentiles ſcilicet ſolùm rationis & luminis naturalis ductum ſequentes, ad ſalutem pervenire.

Ut autem omnis ambigendi ratio tollatur, tria Paganorum genera diſtinguenda ſunt. Primum eorum, qui ſive ante, ſive poſt rogatam à Moyſe Legem, veram ſequentes religionem, atque in Deum ejuſ-

que

que promiſſiones fidem, ſpem tandem in merita Liberatoriſ & Meſſiæ, ad legis naturalis normam vitam inſtituerunt, quemadmodum memoriæ proditum eſt de Abele, Setho, Noe, Abrahamo, Melchiſedecho, Jobo, & de aliis facile ſimile ferri poſſit iudicium, qui ſcilicet nullo Scripturæ legum præſidio, omnia tamen juſtitiaæ & pietatis in Deum atque homines officia impleverunt.

Secundum genus tenent ii, qui in medio Paganici erroris verſantes, nullâ veræ religionis ideâ inſtructi, aded tamen ingenio valuerunt, ut ejus unius ope in cognitionem unius Dei atque officiorum in ipſum ab hominibus exhibendorum venirent; tum & vitam inſtituerent ad omnes juſtitiaæ & naturæ leges compoſitam.

Tertiū tandem ſunt generis Idololatra, qui nihil à ſe corruptionis ducentes alienum, Paganifmum veluti plenis ſcyphis hauſerunt, nihil de Numinis, nihil de naturalis legis cognitione ſolliciti; vel ſi avis, eorum notitiâ abuſi, bone indolis ſemina criminibus opprimentes. Perditos hocce ſalvare nemini unquam ſuccurrit, niſi forte Origeni (a), qui præpoſterâ ſane pietate, Dei miſericordiæ clementiam extendit in criminoſos quoscumque, ne exceptis quidem Angelis perduellibus; ratus poſt exactam plurimum annorum in Infernis peritodum, eam tandem impetraturos felicitatem, quam Jeſus Chriſtus merito Sanguinis ſui mundo obtinuit univerſo.

Perſuaſum eſt pariter omnibus (b), primi generis Paganos ſalutem obtinuiſſe, veluti pietatis & juſtitiaæ, quam impendeſſe coluerunt, retributionem. Quæſtionis igitur ſtatus in ſecundi generis Paganis conſtitus eſt; an ſcilicet illi ſalutem obtinuerint; quæ de re varia apud Patres.

Certum habuerunt quidam, Gentiles, nec Dei cognitione, nec inſtituta ad legis naturalis normam vitæ merito delitutos ſalutem obtinuiſſe. Putarunt alii Gentiles tandiū in Infernis detentos penas luſiſſe, quandiū Jeſus Chriſtus ad eos deſcendens, ad poenitentiam annunciamdam non venit. Prædicanti enim illi fidem adhibentes, ejuſdem Dei Filii merito ſalutem tandem æternâ donati ſunt. Deſcenderunt tandem alii, neminem dono ſupernaturalis fidei, ſpei in Meſſiam, & luminis gratiæ deſtitutum pervenire ad ſalutem potuiſſe; quæ nos ſuſius in præſentiâ examinanda ſuſcipimus.

S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. aſſerit, veteres illos Philoſophos, qui rationis normam ſecuti ſunt, anticipatione quadam Chriſtianos merito habitos fuiſſe; quamquam enim Chriſtum Jeſum ignorarent, dogmata tamen norant & doctrinam; ut inter ceteros reputandi è Græcis quidem Socrates, Heraclitus, alique nonnulli: è Barbaris verò Abraham, Ananias, Azarias, Miſael, Eliâ, alique plures. S. Clemens Alexandrinus (c) docet, viris illis, qui Chriſti ætatem præceſſerunt, acquirenda juſtificationis duplicem patuiſſe viam, Legem nempe, & Philoſophiam; Philoſophiâ quidem juſtos effici vel ſaltem

a Origen. 1. 1. de Princip. c. 6. & contra Celſum 1. 4. & 8. & in Exod. hom. 6. & in Eſai. 36. hom. 3. & in Lucam hom. 14. & 24. b Vide Aug. de Civit. 1. 12. c. 41.

c Clemens Alexand. 1. 6. Strom. p. 637. 638. 639. & Strom. 1. 1. p. 319.

Diſſert. Calmet Tom. II.

animum ad juſtitiam diſponi; ea enim tanquam via habebatur, quæ ad juſtitiam deduceret: conferebat inſuper juſtitiam, quamquam non omnibus numeris abſolutam. Addit, Paganos ante Chriſti adventum fatiſ ſanctos, ipſum Chriſtum ſive ex Apoſtoliſ ejus aliquem in Infernis præſtolatos fuiſſe, vixque audita fidei prædicationi merito ſalutem obtinuerint. Spectat ed loci vir Sanctus ad illud 1. Petri 3. 19. Jeſus Chriſtus, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando.

S. Chryſoſtomus Hom. 39. in Matth. aſſeruit, Gentiles, qui Chriſti ætatem præceſſerunt, ſalutem obtinere potuiſſe, abſque præviâ ejus confeſſione; neque enim in Meſſiam fides ante ejus adventum exigeretur. Illud igitur ab hominibus hiſce poſtulabatur, ut reſecto Idololorum cultu, ſe ſe in unius Dei clientelam aſſerent, unicum illum rerum omnium agnoſcerent Creatorem &c. Et paulò infra docet, eos, qui venturi in mundum Meſſiæ ne levem quidem admiferant ſuſpicionem, ſi reſectâ idololatriâ, ad cultum unci & ſolius Numinis ſeſe contuliſſent, compoſitâ ad reſtâ normam vitâ ad cæleſtem felicitatem aſpirare cum electis potuiſſe, juxta illud S. Pauli ad Rom. 2. 10. Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum (d).

S. Auguſtinus de Geneſ. ad lit. lib. 12. cap. 23. fatetur (e), Jeſu Chriſti animam ad inferna penetraſſe, nempe, ut ipſe paulò poſt exponit, ad loca torquendis impiorum ſpiritibus deſtinata; ibique in vinculis detentas, quas tamen maximè dignas tanto dono iudicaverat, ſolviſſe; quam in rem exponit illud Act. 2. 24. Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. S. Epiphanius (f) tradit, Jeſum Chriſtum ided ad inferna deſcendiſſe, ut in libertatem vindicaret eos, qui Deum quidem ſemel norant, ſed pluribus admiffis erroribus in loco tormentorum cruciabantur. Quibus verbis fatiſ aperte inſinuat Philoſophi, qui Deum juxta Apoſtoli (g) phraſim noverunt, ſed non ſicut Deum gloriſicaverunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis. Marcio apud S. Epiphanius Heſ. 42. defendit, Jeſum Chriſtum ed veniſſe, ut inſultaret Deo Judæorum, Legi, & Prophetis, ſalvaret autem Cain, Core, Dathan, Abiron, & Eſau, ceteraſque gentes, quibus Deus Judæorum incognitus; reliquiſſe verò inter tormenta ſpiritus Abeliſ, Henoc, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſis, Davidis, Salomonis, addiſtiſſimos Dei Judæorum cultores. Apage blaſphemias, quibus ne ſulcienda quidem ſingulari quorundam Patrum opinionem uti audeamus. Neque enim Marcioni uti audeamus. Neque enim Marcioni nomine niſi malum præjudicium ſententiæ illi conciliaretur: quare dicta tantummodò hæc de Hæretico volumus, ne quid præteriremus eorum, quæ in hæc quaſtionem apud Veteres occurrunt.

Origenes lib. 2. contra Celſum defendit, d Vide Chryſoſt. pag. 432. cap. 2. e Chriſti quidem animam veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos ſolveret à tormentis, quos eſſe ſolvendos occultâ nobiſ ſuâ juſtitia iudicabat, non immeritò creditur. f Her. 46. g Rom. 1. 21. Spi-

B b 2

Spiritum Jesu Christi corpore solutum humanos ceteros spiritus convenisse, quod dociliores mortuorum animas ad fidem converteret. S. Gregorius Nazianzenus de Jesu Christi ad Inferos descensu agens Oratione 42. incertum relinquit, an omnes, nemine excepto, salvaverit, vel eos tantummodo, quibus predicacionibus suis persuaserat, quo in loco Nicetas Philosophus Platonice hæc adnotat.

Memoriae proditum est, ait, in historia Patrum de pio quodam Christiano, qui cum in Platonem longâ jam ætate defunctum plâs nimio invecus, impietatis illum & injustitiæ traduceret, succedenti nocte per quietem eundem Philosophum obvium habuit, maledicta præcedentis diei exprobrantem. Fateor, aiebat ille, me immodicis detineri criminibus; sed Jesu Christo vix apud Inferos prædicanti omnium priorem credidisse me scias. Hilarius Diaconus in Comment. super Epistolam ad Ephesios 4. 8. docet (h), Jesum Christum captivos omnes, qui sine prævaricationis Adami sine proprio crimine rei in infernis detinebantur, solvisse, & quos predicacionibus suis obsequentes nactus fuit, secum veluti in triumphum ad Paradisum deduxisse. Et in Epistola ad Rom. ita differit: Omnis enim quicumque viso Salvatore apud inferos speravit de illo salutem, liberatus est; Perro Apostolo testante, quia & mortientes sibi, tuis prædicatus est.

Author Cælestis Hierarchiæ cap. 9. autumat, SS. Angelos à Deo Principes in Gentes datos, veri Numinis cognitionem & cultum subiectis sibi populis inspirasse; quare plures è Gentilibus Angeli ductu salutem, atque cælestem beatitudinem obtinuisse. Ammonius Presbyter (i) consultus à Cæsario Scholastico, an scilicet Jesus Christus, cum in infernum venisset, omnes, quicumque eo in carcere detinebantur, asseruisset in libertatem; respondit omnibus, ne Juda quidem excepto, providisse, resolutis omnium vinculis; iis tantum relictis, qui predicacionibus ipsius perveritates resistissent. Jobius Monachus in excerptis Photii Cod. 222. omnes, quicumque credere in Salvatorem non renuerunt libertati restitutos, cum Jesus Christus ad inferos descendit, asseruit.

Laudatur tanquam eius sententiæ assertor S. Joannes Damascenus Orat. de iis qui in Fide dormierunt; ubi refert exemplum Falconillæ, ex Inferni supplicii precibus S. Theclæ liberatæ; quod pariter in vetustis precationum in honorem S. Theclæ formulis recurrit (k). Meminit etiam idem vir Sanctus calvariæ viri cuiusdam Pagani, interrogationibus S. Macarii respondentis, Virorum Sanctorum precibus, animas sociorum suorum in Inferno solamine quodam aspergi. In ea tandem Oratione, sicut & in aliis pluribus vetustis Libris, occurrit historia liberati ex Inferni penis Traiani Imperatoris, S. Gregorio Papâ rogando (l). Docet etiam, Jesum Christum, cum ad inferos descendisset, fidei & justificationis donum impertitam fuisse iis, quos fortè eo loci invenit, vi-

ris frugi & modestis; neque enim clementissimus Deus suo premio desitui voluit tam multa; sanctissime à Viris illis gesta.

Inter Recentiores Ambrosius Catharinus in Epist. ad Rom. cap. 2. Erasmus, alique nonnulli saluti Philosophorum Gentilium fuisse plurimum visi sunt. Philosophorum, inquam, quorum vita ad eam cum Lege & Evangelio congruebat, ut unius ejusdemque spiritus utraque opus viderentur. Ad eam verò admiratione Socratis arreptus est Erasmus, ut diceret: Parum abest ut dicam; Sancte Socrates ora pro me.

Tostatus Episcopus Abulensis in Gen. 17. defendit, Gentiles, quos laudabilis vitæ probitas ornabat, nihilque non expressum ad normam naturalis legis habebant in moribus, nullum præbuerunt Idolis cultum, sed unius Dei singularitatem norant, Dei, inquam, præmia iustis conferentis, probitatis suæ merito salutem obtinuisse, quamquam nihil sive de Trinitate, sive de cæteris aliis nostræ Religionis dogmatibus norint. Cum enim illi iustitiam ad exitum usque ita voluerint, ut nullo mortali crimine tenerentur, cum obirent, in Abrahamæ sinu post mortem constituti sunt, ubi nullo doloris sensu tangebantur. Eodem pariter privilegio illos donat, si post commissum crimen nec rejectam Idololatriam, inquinatissimæ vitæ maculas poenitudine ante mortem eluissent; tunc enim igne Purgatorii, quidquid reliquum esset criminis, post mortem expiassent illos dicit; quam enim vim contritio modò obtinet, eandem semper quæcumque demum ætate obtinuit.

Nec Seneca vulgaris, quantum ad morales disciplinas attinet, sentire visus est, quorum admiratione nostri quidam Scriptores Christianum Stoicum plenis buccis appellantes, è Philosopho Discipulum S. Pauli reddunt. Fateatur pariter Tertullianus de Anima cap. 20. Senecam in nostras partes sæpè transire; Seneca sæpè noster. Eundem Authorem sapiens in Pagano Laetantius; non rarè etiam laudat S. Augustinus plura ex ejus libro adversus superstitiones referens, agnoscens insuper, strenuè Paganicæ superstitionis errorem ab illo impugnari (m). Observat autem idem S. Augustinus, nunquam ab illo laudari Christianos, invidiam suorum metuens, si quid de ipsis boni referret; conscientia verò prohibuit, nequid mali de illis dicere auderet (n). Tandem S. Hieronymus genuinas esse, quæ ferebantur, Senecæ ad S. Paulum Epistolæ ratus, eundem Philosophum inter Ecclesiasticos Scriptores recenset.

Judæorum Doctores, quamquam aliqui gentis suæ privilegiorum studiosissimi, fores tamen æternæ beatitudinis pluribus Paganorum referant. Admittunt enim omnes, quicumque præceptis Nemo datis colla submiserint (o), videlicet Idololatriam non coluerint, à cæde, adulterio, à maledictis, à nomine Dei violando abstinerint, ad furta manus non extenderint, pariter ab esu viventis ejusdemque animantis temperarint; quibus urgentis præceptis Judices constituti erant.

Hicce

h Expoliavit Inferos, cum captivos, quos ex prævaricatione Adæ, aut proprio captivos peccatis in conditione tenebant, abstulit consentientes sibi, & ascendens inde in Cælos induxit.

i Vide Biblioth. Cosm. Cod. 25. p. 76.

k Apud Græb. Specieg. PP. 11.

l Eucolog. c. 96. & alii Libb. Græc. Damaf. loc. citat. p. 588.

m August. l. 6. de Civit. c. 10. n Idem l. 6. de Civit. c. 11. Christianos jam tunc Judæis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suam patriam veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem. o R. Moses, & R. Meyer Gabay.

Hicce Noachidorum præceptorum legibus subiectis Gentilibus accenset R. Moses Ægyptius omnes quicumque Deum noscent, aqua de ejus divinitate sentiant, ac tandem vitam frugi probantem instituerint, uti Socrates, & Plato. Tandem in Talmud relatum est, quatuor hominum genera à futuri sæculi beatitudine excludenda, videlicet Balaam, Doeg, Achitophel, & Giezi, cæterisque eorum imitatores; ex quo rectâ consuetudine deducunt, cæteris Paganis salva manere omnia (p).

p Vide Menasse Ben-Israel l. 2. c. 9. de Resur. Mortuor.

Patrum autoritatem fulciunt hæc potissimum rationes. Cum Deus mortales omnes suis, Dei videlicet, commodis genuisset, sicut vicissim Jesus Christus omnium hominum salutem mortem oppetisset, quòd ex universo mortalium hominum cœtu rari tantummodò salutem reipsâ obtinuerint, vix ac ne vix quidem intelligeretur. Quantum autem, rogo, electorum esset numerus, exclusis ab eorum consortio Gentilibus, qui Deum noscent, & ad rationis normam vitam instituerint? Quis credat, ante diluvium 3656. annorum spatium modicum illum prædestinatorum numerum implese, quem referente Scripturâ legimus? Quis Abrahamo, Melchisedeco, & Jobo cævos plures viros, non dissimilem ab illis vitam morum sanctitate, & Dei cognitione & cultu puram ducentes, non statuat? Cur artibus ad eam limitibus Dei miseratio claudatur, in angustum coacto electorum numero. Maxime pariter ad Dei majestatem spectat, ut beneficia sua in omnes spargens creaturas, omnes ad destinatum sibi felicitatem invitet. Invitat autem, juxta phrasim S. Clementis Alexandrini Strom. lib. 7. Gentiles Philosophiâ & naturali illâ Religione, quam singulorum cordibus ministerio inferiorum Angelorum inculpsit; invitat Judæos Lege, quam per Angelos superiores, præcone Moysæ, rogavit.

Eadem sensus lib. 6. Strom. profecutus, docet, triplici veluti federe Deum sibi homines sociasse, suo nempe Gentiles, peculiari Judæos, ac tandem tertio quodam singulari Christianos; à singulis verò, ait, singulari ac distinctâ religione cultum obtinuit. Dedit Gentilibus Philosophiam, Judæis Legem, ac tandem utrisque in unum coniunctis Ecclesiâ composuit, tria veluti fœdera in unum concilians; tria nempe, quæ unius Dei verbo nequuntur atque firmantur. Ita enim reputandum est, ut, quemadmodum Judæis Prophetas constituit, ita pariter suos dedit Gentilibus Prophetas nempe Philosophos. Laudat in eam rem testimonium S. Pauli, cujus tamen verba in Scriptis Canonice nupiam leguntur: Libros Græcorum sumite, agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significant, & quæ sunt futura. Et pag. 637. tanquam Apostoli Petri verba refert: Dicit Petrus Dominum dixisse Apostolis: Egredimini in mundum, ne quis dicat: Non audivimus; nam si ut hoc tempore predicatio Evangelii ad nos delata est, ita pariter tempore elapso Lex & Prophetæ data sunt Barbaris, & Græcis Philo-

sophia, ut ad Evangelium recipiendum disponerentur.

Idem prosequens institutum vir sanctus, eandem sententiam ex illo Scripturâ probat, quo Jesus Christus prædicasse traditur apud Inferos; asserit autem, Apostolos Præceptoris sui imitatione ad inferna loca venisse, ut inceptum opus tandem absolverent, appellandi nempe ad salutem eos, qui nullam veri Dei & Servatoris cognitionem haberent: ex quo factum, ut Jesus Christus ad sanctiora consilia revocandis Judæis eò veniret; Apostolos verò in Gentium salutem, seu potius Jesum Christum idè descendisse, ut indiscriminatim omnibus prædicaret, ac salutem omnibus, quotquot in ipsum crederent, largiretur. Laudat in eam rem sententiam illam Pastoris [g]: Descenderunt ergo eorum, qui dormierunt, in aquam; sed hi quidem descendunt viventes, & viventes ascendent. (Hæc de Justis Hebræorum dicta accipe) Illi autem mortui descendunt, & vivi ascendent. Quibus verbis Gentiles designantur, ante receptam fidem decedentes; ex infernis tandem ascendentes, merito fidei, predicacione Jesu Christi sive Apostolorum receptæ, vitam consequuntur.

Nihil est, ait ille, inter justos sive Græcos sive Judæos, vel sub Lege vel sæcûs, discriminis; est enim omnium hominum unus & singularis Deus, qui Patris amore speciali omnes in se credentes complectitur. Sentit autem (r), iniquitatis esse & injustitiæ, si æternis damnentur supplicii, qui cum ante Christi adventum è vivis excessissent, nihil de illo subodorati, vitam in ignoracione Messæ traduxerunt; quam in rem illud velut è Scriptura laudat: Quæcumque vestram fecit aliquis in ignoracione, Deum aperit non cognoscens, sicut agnoscens ductus fuerit poenitentia, et omnia peccata remittentur.

Quibus latè discussis, illud tandem consequitur, Gentiles, qui & mentem Dei cognitione illustrant, & vitam morum sanctitate probatam duxerunt, salutem tandem impetrare potuisse. Sed equivocationes demum tollendæ sunt, & apertius promendum, quid sit Deum nosse, & vitam laudabilem instituisse. Potest itaque Deus sterili quadam & speculativâ contemplacione cognosci, quemadmodum impii & Dæmones Deum, quem noscunt, blasphemant. Potest Deus cognosci solo rationis lumine, uti factum novimus à Philosophorum pluribus, ex creaturis in Creatoris cognitionem venientibus, desitutis tamen illis fide & charitate, vitamque planè agentibus scientiæ suæ oppositam, & vitæ inspeciem exactæ decora corrumpentibus, justitiæ & charitati planè adversis criminibus. Cur illi suis hic contemplationibus atque fucatis probitatis exemplis salutem æternam obtinuerint, nihil est; deerant enim illis, quæ unice ad salutem requiruntur, Fides, gratia, charitas, & bona opera, quorum si quid desideretur, etiam si cætera adsint, actum est de adultorum salute.

q Ibidem p. 638.

r Strom. l. 6. pag. 699.

Viri